

*Iube me venire ad te super aquas.*

✠ Lécctio sancti Evangélii  
secúndum Matthæum

14, 22-33

- [**P**ostquam saturáta est turba,]
- <sup>22</sup> statim iussit Iesus discipulos ascéndere in navículam et præcédere eum trans fretum, donec dimíttetet turbas.
- <sup>23</sup> Et dimíssis turbis, ascéndit in montem solus oráre. Véspere autem facto, solus erat ibi.
- <sup>24</sup> Navícula autem iam multis stádiis a terra distábat, flúctibus iactáta; erat enim contrárius ventus.
- <sup>25</sup> Quarta autem vigília noctis, venit ad eos ámbulans supra mare.
- <sup>26</sup> Discípuli autem, vidéntes eum supra mare ambulántem, turbáti sunt dicéntes: «Phantásma est», et præ timóre clamavérunt.
- <sup>27</sup> Statímque Iesus locútus est eis dicens: «Habéte fidúciam, ego sum; nolite timére!».
- <sup>28</sup> Respóndens autem ei Petrus dixit: «Dómine, si tu es, iube me veníre ad te super aquas».
- <sup>29</sup> At ipse ait: «Veni!».
- Et descéndens Petrus de navícula ambulávit super aquas et venit ad Iesum.
- <sup>30</sup> Videns vero ventum válidum tímuit, et, cum cœpísset mergi,

clamávit dicens:

«Dómine, salvum me fac!».

<sup>31</sup> Contínuo autem Iesus

exténdens manum

apprehéndit eum et ait illi:

«Módicæ fidei, quare dubitásti?».

<sup>32</sup> Et cum ascendíssent in navículam,

cessávit ventus.

<sup>33</sup> Qui autem in navícula erant,

adoravérunt eum dicéntes:

«Vere Fílius Dei es!».

Verbum Dómini.